



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Præfatio,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

TRACTATUS NONVS

DE IUSTIFICATIONE IMPII, ET merito iusti.

Ad quæstiones II. & II.4. Divi Thomæ.

PRÆFATIO.

RE C T E olim à Tertulliano dictum est. Nunquam sine aqua Christum esse: cum præcipua religionis mysteria elemento aqua peracta sint. Siquidem & ipse Christus aqua tingitur; prima rudimenta potestatis suæ vocatus ad nuptias, aqua auspicatur; cum sermonem facit, sitientes ad aquam invitat sempiternam; cum de agape docet, aquæ calicem fratri oblatum inter opera dilectionis probat: apud puteum vires resumit, super aquam incedit, libenter transfretat, aquam discumbentibus ministrat: perseverat testimonium Baptismi usque ad passionem; cum deditur in crucem, aqua intervenit, sciunt Pilati manus; cum vulneratur, aqua de latere prorumpit, scit lancea militis. Nec minus aquas amasse Spiritus Sanctus visus est: cum ab ipso rerum exordio puritate elementi delectatus, aquam, uti propriam sedem, aut instar triumphantis currus, quo veheretur, elegit. Tunc (inquit idem Tertullianus) terra erat invisibilis & incomposita; tenebræ totæ adhuc sine cultu syderum; informis & tristis abyssus; terra imparata, & cælum rude, solus liquor semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura, dignum vectaculum Deo subiciebat. Et ut mutuat utriusque, Christi scilicet & Spiritus Sancti, consensionem (AMICE LECTOR) videas: cum Christus ad ripas Iordanis tingitur, Spiritus Sanctus aquas eâ virtute & fecunditate imbuit, quâ Fideles dum Baptismo abluntur, novâ generatione in novam creaturam reformatur. Tunc (pergit laudatus Tertullianus) ille Sanctissimus Spiritus libens à Patre descendit super Baptismi aquas, & tanquam pristinam sedem recognoscens, conquiescit, columbæ figurâ delapsus. Sed quod propius ad nostrum institutum & argumentum accedit; cum Samaritanam mulierem, familiari & longiori colloquio, altiora fidei mysteria Christus aliquando edoceret, cubito forsitan inmixtus fonti, & subiecto exemplo usus, aquæ symbolo gratiæ dotes omnes expressit: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu petijsses ab eo, & dedisset aquam vivam. Nam ut in eundem locum Ioannis Cyrillus inquit: Aqua hæc, vivificans gratia Spiritus Sancti est. Et sane si utriusque collationem ineamus, præcipua gratiæ officia, seu dotes, tribus potissimum aquæ proprietatibus explicare promptissimum est. Primum enim gratia fontis instar sponte fluit, nec hominum meritis, sed originis suæ perennitate & copiâ diffunditur: non enim Dei gratia (inquit Augustinus) gratia ullo modo erit, nisi gratuita fuerit omni modo. Quamquam etiam & fonti largè fluenti, & puteo altè effosso, gratia simillima sit. Vnde Canticorum 4. Fons hortorum, & puteus aquarum viventium nuncupatur. Quæ verba sic egregiè Gilbertus Ab-

Lib. de
Baptis-
mo cap.
19.

Circa
loco
cap. 4.

Contra
Pela-
gium
& Co-
lestium
cap. 14.

Tom. IV.

R ij

P R Æ F A T I O.

Serm.
17.

*has expendit: Si fons, quomodo puteus? Si puteus gratia, quomodo fons? Nostis quantum inter se distent fons & puteus: puteus infoditur, fons gratis fluit; in illo aquæ reconditæ sunt, in isto quasi propositæ, & seip-
sas offerentes ultrò. Accipiamus ergo in fonte gratiæ exuberantiam, in puteo secretum; in illo gratiæ spontaneam oblationem, in isto alta my-
steria.*

*Sed præterea alterum est, quo gratia imaginem aqua referat, quodd nimirum animas non intingat solum, sed & abluat, & detorsis sordibus, purissimas effi-
ciat; & eo gratiæ officio antiquam legem nova potissimum superat, cum (ut D. Augustinus advertit) lex antiqua proderet, non sanaret egrotos; ostenderet agri-
tudinem, non auferret; & instar speculi, objiceret duntaxat maculas, non deter-
geret: at beneficio gratiæ nova lex non demonstrat solum animorum sordes, sed
& aufert; & ad eam puritatem lustralibus aquis tinctæ mentes accedunt, ut co-
lumbæ quæ lacte sunt lotæ dici potuerint (nimirum cum eâ munditiæ & can-
dore præditæ sint, ut penè lactis munditiem traxisse videantur) & residere jux-
ta fluentia plenissima, Christi scilicet vulnera, vel sacramenta, ad majorem pu-
ritatem, innocentiam, & munditiem comparandam, instituta.*

*Demum hoc utriusque, gratiæ scilicet & aquæ, genium est, hæc innata propen-
sio, ut ad suum principium recurrant. Vt enim aqua suæ origini redditæ, suo fon-
ti refusæ, iterum ab eo sumunt, unde iterum & jugiter fluant; ita cælestis gratiæ
fluenta, dum è Libano, excelsò scilicet Divinitatis fonte, ad nos usque labuntur,
sursum ad suam originem animos, quos à criminum sordibus & maculis purgant,
bonorum operum meritis in cælum, premia percepturos, secum impetu quodam
rapiunt: nam qui biberit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ salientis in vi-
tam æternam. Utinam (AMICE LECTOR) his cælestibus undis non labra
duntaxat extrema præbeas, sed sit in omnem rerum terrenarum quæ peritura sunt
aliquando extinguas: nam qui bibit ex hac aqua, non fiet in æternum.
Sed demum, ut pro munere Theologi, rem apertius, & missis metaphoris absol-
vam, hos gratiæ effectus, quos aquæ symbolis oculis subjeci, justificationem scili-
cet, quæ animam mundat; & meritum, quod ad vitam æternam evehit; pro
viribus hoc Tractatu explicandos suscipio, eâ perspicuitate & brevitate, cujus
toties experimentum dedi, ut nihil in ea parte sit quo te diutius morari de-
beam. Vale.*

